DISPUTATIO
QVÆSTIONVM POLITICARVM QVARTA ET ULTIMA,
De
MAGISTRATU,

Quam

Juvante Altiſſimo

In

Illuſtri Academiâ Wittebergenſi,

PRÆSIDE

DN. M. MATTHÆO Groſſer
Miſnic. Facultat. Philoſoph. Adjuncto

Defendet

CHRISTOPHORUS Eichhorn
Gura Sileſius.

12. Auguſti 1629.

In Collegio Friderici horis matutinis.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS HAKEN.
M. DC. XXIX.

QUÆSTIO.

An Magiſtratus poſſit concedere, ut frater ſororem ſuam in uxorem ducat?

PRo *affirmativa* poſset quis ita argumentari: Quod ſemel fuit licitum, illud ſemper eſt licitum. Atqui conjugia fratrum & ſororum ſemel fuerunt licita quod patet ex exemplo filiorum & filiarum Adami. Ergo ſemper erunt licita. Sed *negativa* veriſsima. Nam quod à Deo eſt prohibitum, illud Magiſtratus non poteſt, neque debet concedere. Atqui conjugia fratrum & ſororum ſunt prohibita, uti colligi poteſt *ex Levit.18,16.* ubi dicitur: *Omnis ad proximam ſive propinquam ſanguinis ſui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus. Ego enim dominus Deus veſter.* Ergo conjugia fratrum & ſororum Magiſtratus non poteſt, neque debet concedere. Ad argumenti in contrarium propoſiti *Majorem* reſpond. eam non eſſe *ſimpliciter* veram, quia patitur *inſtantiam*. Subſumere enim poſſum de *Polygamia* hoc modo: Quod ſemel fuit licitum, illud ſemper eſt licitum. Atqui Polygamia ſemel fuit licita, nempè in V. T. in populo Dei. Ergo ſemper erit licita, & per conſequens in N. T. etiam ferenda & concedenda. Concluſio eſt abſurda. Quippe Chriſti prohibitioni contraria ut ex *Matth.19.* patet. Ergo vel *Major* vel *Minor*. At non *Minor* quæ legitur in V.T. & ſic Scripturæ eſt. Relinquitur ergò quod *Major*. Ideoque ſic limitanda erit *Major* propoſitio: Quod ſemel fuit licitum, illud ſemper eſt licitum, *ſcilicet niſi interveniat prohibitio divina.* At inter conjugia fratrum & ſororum non interveniſſe divinam prohibitionem negatur. Ad probationem *Minoris* ab exemplo Caini petitam *reſpond.* 1. eam laborare *fallacia conſequentis*. Non enim ſequitur: Cainus ſororem ſuam duxit in uxorem. Ergo adhuc licitum eſt. Siquidem multa Caino licuerunt, quæ nobis non licent, 2. *fallacia cau-*

ſæ. Non enim *ex lege* ſed *neceßitate* Cainus ſororem ſuam in uxorem duxit. Quia nullæ tunc temporis aliæ fœmellæ, præterquam ſorores, aderant, quibus conjugium inire potuiſſet. Neceſſitas autem non facit legem.

QVÆSTIO II.

An Judæi à Magiſtratu in Rempublicam recipiendi ſint, vel non?

Multi ſunt, qui illos commiſeratione dignos judicant, & propter ſpem converſionis in Rempublicam quamcunq; recipiendos eſſe ſtatuunt: alij è contra obſtinatam eorum malitiam, nec non horrendas blaſphemias attendentes, dicunt illos nec recipiendos, nec receptos tollerandos eſſe, ne avaritiâ, blaſphemijs & alijs ſceleribus Chriſtianos ſimpliciores ſeducant, vel ad minimum offendant. Nos diſtinguendum eſſe putamus inter *Judæorum in Rempub. receptionem*, & inter *receptorum tolerantiam*. In quâ Republ. ſedem fixam antea non habuerunt, in illam quoque temerè non ſunt recipiendi, idque tum propter horrendas blaſphemias, quibus in quotidianis precibus Chriſtum Salvatorem, Mariam matrem ejuſdem benedictam, & omnes omninò Chriſtianos afficiunt, in quibus receſendis prolixus eſt Lutherus in libro de Judæis & eorum mendacijs Tom. 8. Jenenſi Germanico qui continetur, quas qui in territorio ſuo admittit Magiſtratus, is in judicio divino non minus quā Judæi ipſi reus habebitur, ſiquidem faciens & admittens malum eandem merentur pœnam. Tum etiam propter vitæ genus, quod exercere ſolent deteſtandum, ſiquidem non niſi ex uſuris vivunt, & hoc propterea habent principium verè diabolicum, eſſe Chriſtianos ex alienigenis, de quibus licet ſumere uſuram etiam juxta confeſſionem ipſius Dei *Deut. 23. v. 20.* expreſſam. In quam verò Rempubl. jam pridem ſunt recepti, ex illa quoq; ſeditiosè non ſunt ejiciendi, inprimis ſi ſequentia capita ore promittere & facto ſervare velint: Quod in Synagogis ſuis amplius convenire non velint, utpote in quibus blaſphemias potiores ſpargunt 2. quod ex Judaiſmo ad fidem Chriſtianam tranſeuntes, vi aut fraude detinere, vel etiam alio quocunque modo lædere non velint. 3. quod templa Chriſtianorum adire & conciones ſacras au-

dire velint, & 4. quod neminem Chriſtianorum ad ſuam ſuperſtitionem allicere velint, 5. quod negotiationes diebus Dominicis penitus intermittere velint. Quod ſi verò hæc omnia promittere non velint, vel etiam quod principaliter urgendum eſt, ſanctè ſervare, excuſari vix poterit Magiſtratus, qui illis in Repub. ſuâ locum concedit, & privilegiis politicis aliis ſubditis illos præfert.

QUÆSTIO III.

An etiam Magiſtratus notoriis flagitiis deditus, puta adulterio, furto &c, à ſubditis honore ſit proſequendus?

Dubitatur. Nam honor virtuoſis competit. Jam autem Magiſtratus ille non *virtuoſus* eſt. Ergo honore indignus eſſe videtur. *Sed non eſt, quod dubitetur.* Expreſsè enim dicitur 1. *Petr: 2, 18 Servi ſubditi eſtote cum omni timore Dominis, non ſolum bonis & æquis, ſed etiam pravis vel ut in Græco eſt, degenerantibus.* Ad *argumentum*, quod initio dubium monebat, reſp. 1. *Indirectè* & per *inſtantiam* hoc modo: Qui non ſunt virtuoſi, illi non ſunt honore proſequendi. Atqui parentes flagitioſi, puta adulteri, homicidæ, fures &c, non ſunt virtuoſi. Ergo illi non ſunt honore proſequendi: Concluſio eſt abſurda Quippe quæ legi divinæ repugnat. Hæc enim *ſimpliciter* dicit: *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Nullam addit *limitationem*, ſeu *excluſivam*: honora *tantum* patrem & matrem virtuti ſtudentes. Ergo vel *Major*, vel *Minor.* At non *hæc.* Quippe quam experientia quotidiana confirmat. Videmus enim multos diabolicos parentes, qui non ſolum liberos ſuos non *adhortantur* ne *peccent*, nec *puniunt*, quando *peccant*; verum etiam *ipſi* peſſimâ diabolicâ ſuâ vitâ eos ad ſcelera invitant, non cogitantes *illud* Salvatoris: *Væ homini, per quam ſcandala veniunt. Ergo* illa. 2. *Directè &* per *limitationem* ita: Qui non ſunt virtuoſi, illi non ſunt honore proſequendi, *ſcilicet niſi aliquod officium præcipuum adminiſtrent.* At ſic negamus *Minorem* Committitur ergo hic 1. *Fallacia à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter.* 2. *Fallacia cauſæ ſolius,* Dum ſola abſentia virtutis cauſa privationis honoris ſtatuitur.

QUÆSTIO IV.

An Magiſtratui in omnibus ſit obediendum?

Quod ſic, innuere videtur Paulus ad *Coloſ. 3. 20* ubi *præcipit: Filii obedite parentibus in omnibus* & verſ. 22. *Servi obedite per omnia iis, qui*

domini ſunt &c. Verùm nos hic diſtinctè reſpondendum eſſe cenſemus. Si magiſtratus aliquid mandato Dei conſentaneum, & dilectioni proximi conforme præcipiat, obedientia illi præſtanda eſt. *Quare?* Quia obſtricti ſumus. Sin verò aliquid contrarium, non item, Quare? Quia Deo magis obedire oportet quam hominibus *Act. 5, 29.* Res exemplis fit clarior. Si Magiſtratus te juberet auream ſtatuam adorare, tunc exemplum *Danielis cap. 6.* ſeqvi deberes, & auream ſtatuam non adorare. Ratio hæc eſt. Quia mandato Dei contrariatur *Deut. 6, Matt. 6 & 4. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* At non Deum adorat qui auream ſtatuam adorat. Hæc enim non eſt Deus & creator, ſed creatura, vel idolum. Ad locum in initio alligatum reſpond. Paulum ibi non *ſimpliciter* præcipere filijs & ſervis, ut in omnibus Parentibus, ac Dominis ſuis obedientiam præſtent; ſed tantum *reſpectivè*, nempè in ijs omnibus, quæ Deo placent; & cum legi Dei conveniunt. *Eſt ergo fallacia à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter.*

QUÆSTIO V.

An Electores in Romano Imperio ſint ſubditi?

Diſtingue. Vel enim ſubditi ſunt merè, & abſolutè tales; vel tantùm ſecundûm quid, & certo reſpectu. Abſolutè ſubditi ſunt, qui nihil planè poteſtatis publicæ habent, ſed citra conditionem ullam magiſtratui ſunt ſubjecti. Secundûm quid autem, & certo tantum reſpectu ſubditi dicuntur, qui vel ex legibus fundamentalibus, vel etiam ex pacto & conſuetudine in partem poteſtatis publicæ ſunt recepti, & ſic Magiſtratus ſummi in certo caſu ſunt quaſi adjuncti. Non priori, ſed poſteriori modo Electorales in Romano Imperio ſunt & dicuntur ſubditi, ſiquidem ex pactis fundamentalibus Majeſtati ſunt quaſi adjuncti, & cuſtodes conſtituti juramenti, quo illa ſubditis ſeſe obſtrinxit.

QUÆSTIO VI.

An Magiſtratus bonâ conſcientiâ permittere poßit Theologis ſuis, ut de religione diſputent?

Negant nonnulli propterea, quod ſcandalum præbeant. Verùm nos affirmamus, & quidem hiſcè duobus argumentis 1. Ab exemplo

empſo Chriſti, qui cum Scribis & Phariſæis diſputavit. 2. Ab incommodo. Si diſputationes de religione plane prohiberentur, hoc ſchemate quævis ſecta ac conſervari & propagari poſſet. hanc enim ob cauſam Judæi & Turcæ aliique gentiles tàm pertinaciter adhærent avitis erroribus, quia diſputationes de Religione apud ipſos non permittuntur. Ad rationem ſuadentem negativam reſpnd 1 *Indirectè* & *per inſtantiam* hoc modo: quicquid ſcandalum præbet, illud non eſt concedendum. Atqui ſaltationes comediæ &c. ſcandalum præbent Ergo ſaltationes. Comediæ &c non ſunt concedendæ. Concluſio *ſordet*. Ergo vel *Major* vel *Minor*. At non *Minor*. Ergo, *Major* 2. *Directè & per limitationem ita*: Quicquid ſcandalum præbet 1 *ſcandalum datum* 2. *perſe &* 3. *ſemper*, illud non eſt concedendum. At ſic negatur Minor. Quomodo enim probabitur, diſputationes de religione præbere 1. *ſcandalum datum* 2. *per ſe & perpetuo & ſemper* 3. *Per Diſtinctionem*. Diſtinguendo 1. *Inter ſcandalum datum, & ſcandalum acceptum* 2. *Inter diſputationes contra fidem, & diſputationes pro fide.* De *illis* major concedi poteſt, at de his non minor. 4. Per *fallaciarum monſtrationem*. Committitur enim hic 1. *Fallacia æquivocationis* in vocabulo ſcandalum. Major loquitur de ſcandalo dato; minor de accepto. Sunt igitur quatuor termini 2. *Fallacia à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter* non enim *ſimpliciter* ſcandalum præbent diſputationes, Sed ſecundùm quid 3. *Fallacia accidentis*. Non enim *per ſe*, ſed *per accidens* fit, quando ſcandalùm ex diſputationibus oritur. 4. *Fallacia ignorationis Elenchi.* Non enim hic quæſtio eſt de ſcandalo accepto, ſed dato, neque de diſputationibus contra fidem, ſed de fide.

QUÆSTIO VII.

An Magiſtratus religionis cujuscunq́ exercitium promiſcuum im Republ. tolerare poſſit ac debeat?

Negatur. Nam officij ratione eſt obligatus, ut quanto fieri poteſt ſtudio, caveat ne religiones heterodoxæ in Rempubl. introducantur, & ſi in illæ florentes inveniat, ut de convertendis quoque ſubditis laboret, quod verò fieri *debet non vi externa & armis*; ſed juxta præceptum Pauli cum ſpiritu manſuetudinis & lenitatis Gal. 6, 1.

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

An Magiſtratus interdicere queat miniſtris verbi, ne hanc vel illam hæreſin in concionibus refellant, hoc vel illud vitium puniant?

Et hic negativa veriſsima eſt. Sic enim argumentor: Quicquid pertinet ad vocationem Evangelici paſtoris, illud Magiſtratus interdicere nequit. Atqui has vel illas hæreſes & hæreticos refellere pertinet ad vocationem Evangelici paſtoris. Ergo. *Major* eſt certa. *Minor* conſtat ex *Jerem.* 15. 19. *Ezech.* 22, 26. *Tit.* 1.9. Taceo, quod *Prophetæ, Chriſtus* & *Apoſtoli* hæreſes & hæreſiarchas refutarint. *Elias* contradicebat *Baalitis* 1. *Reg.* 18, 21. *Ieremias Ahab* & *Zedekiæ. Ierm.* 29, 21. *Chriſtus Saducæis* & *Phariſæis Matt.* 16. & 22. *Paulus Iudæis Act.* 9, 22. Vnde hoc apodicticum fluit argumentum. Quod Chriſtus ut caput doctorum cum Prophetis & Apoſtolis in miniſterio fecit, illud etiam omnibus fidelibus miniſtris verbi competit facere. Atqui falſas hæreſes & hæreſiarchas refutavit. Ergo.

QUÆSTIO IX.

An in Magiſtratu probandum, quod corpora facinoroſorum in rota, vel patibulo inſepulta relinquat?

Negativam qui amplectuntur ita inſurgunt: Quicquid legi divinæ contrariatur, illud non probandum. Atqui corpora facinoroſorum in rota vel patibulo inſepulta relinquere contrariatur legi divinæ. Expreſsè enim dicitur Deut. 21, 22. & 23. Cum erit in aliquo peccatum, adjudicandum morti, & tradetur morti, ſi ſuſpenderis eum de ligno: ne pernoctato cadaver ejus in ipſo ligno, ſed omnino ſepelito eum eodem die, Ergo. Affirmativam è contra ſuam qui faciunt, quibus & nos calculum noſtrum ſubjicimus, rectè urgent 1. Minationem divinam, quâ Magiſtratus ad hoc faciendum movetur. Minatur enim Deus Jehojakimo ſepulturam aſini Jerem. 22, 19. At cur? Propter impietatem. Ergo omnibus impiis minatur talem pœnam Dominus. Similium ſiquidem eadem ratio. Jam autem judiciorum divinorum executor eſt Magiſtratus. Neque enim ſine cauſa gladium portat Rom. 13, 4. Ergo facinoroſos inſepultos relinquere poteſt 2. Conſtitutionem humanam. Dicitur enim L. corpora 1. D. de cada-

cadaver, punitorum hodiè eorum, in quos adminadvertitur, corpora non aliter ſepeliuntur, quam ſi fuerit petitum ac permiſſum. Ad argumentum in contrarium allatum reſpond. 1. Indirectè & per inſtantiam hoc modo: Quicquid legi divinæ contrariatur, illud non eſt approbandum. Atqui non capitalis pœna filij contumacis contrariatur legi divinæ Deut. 21,18,19,20,21. Ergo non approbanda. Concluſio eſt abſurda, ac proinde etiam Major, quia non Minor, cum ſit Scripturæ. 2. Directè & perlimitationem ita: Quicquid contrariatur legi divinæ morali in N. T. repetitæ, illud non eſt approbandum. At ſic negatur Minor. Committitur ergò hic fallacia petionis principij. Ad locum pro minoris probatione adductum ex Deut. 21, 22. & 23 reſp. illum legem judicialem continere, ac Judaicum duntaxat populum obligare.

QVÆSTIO X.

Num Eccleſiaſtici debeant ſubjecti eſſe Magiſtratui?

Videtur quod non. Cur? Quia ſuperior non eſt ſubjectus inferiori. Atqui Eccleſiaſtici, utpote qui curam agunt animarum, ſecularibus longè ſuperiores ſunt, ut pote qui corpus concernunt & curant. E. Verùm nos contrariam fovemus ſententiam, & ſtatuimus, Eccleſiaſticos & miniſtros Eccleſiæ Magiſtratui in temporalibus ſubjectos eſſe. Hoc enim patet ex Epiſtola ad Rom ubi Apoſtolus ſcribens omnibus qui Romæ erant dilectis Dei & vocatis ſanctis ut loquitur ipſe *cap.1,7.* adeoque miniſtros Eccleſiæ omninò includit, & tamen *cap.13,1.* vult ut omnis anima ſubjecta ſit poteſtatibus ſupereminentibus, Ex quibus conjunctis apodicticum fluit hoc argumentum. Quicunque Romæ erant dilecti & vocati ſancti, illi debent poteſtatibus ſupereminentibus civilibus (illas enim intelligere Paulum patet ex verſ. 4. & 6. ejuſdem capitis) eſſe ſubjecti. Atqui Romæ quoque erant dilecti Dei, & vocati ſancti non tantùm auditores, ſed & Doctores, qui ſacra peragebāt. Ergo. Ad rationem allatam in contrarium reſpond 1. *Directè & perlimitationē ita*: Superior *abſolutè*

non eſt ſubjectꝰ inferiorē. At ſic negatur *minor*. Eccleſiaſtici enim non *abſolutè* ſunt ſuperiores Magiſtratu, ſed tantū *certo reſpectu*, nempe *ratione miniſterij*. Committitur ergo hic *fallacia à dicto ſecundū quid ad dictum ſimpliciter*. 2. Per diſtinctionem. Diſtinguendo inter *ſuperioritatem cum miniſterio & inter ſuperioritatem cum poteſtate*, De hac Major vera; at falſa Minor.

QVÆSTIO XI.

An Magiſtratus ſit ſuperior ſubditis, an verò contra?

Fuerunt nonnulli priſcis temporibus qui poſteriꝰ defendendum ſibi ſumpſerunt his rationibꝰ 1. Quod cōſtituens ſit ſuperior conſtituto & ſic ſubditi Magiſtratu, utpote qui illū conſtituiſſent 2. Quod Rex ſit talis propter ſubditos, non autem contrà, & ſic hoc quoque nomine ſubditi Magiſtratu ſuperiores. Verùm cogitare debuiſſent homines iſti? Quod non ſit *abſolutè* verum, quod Magiſtratus ſit conſtitutus à ſubditis Ab eo enim eſt conſtitutus, à quo poteſtatem ſuam habet. Atqui non à ſubditis, ſed Deo poteſtatem ſuam habet Rom. 13. 1. Sap: 6, 4. Ergo 2. quod conſtituentium non una, ſed diverſa ſit intentio. Sunt enim qui conſtituere ſibi volunt caput, & ſuperiorem, ut milites ducē, diſcipuli præceptorem, ſunt itidem qui non ſuperiorem, ſed inferiorem ſibi conſtituere intendunt, ut dominus ſervum, domina ancillam princeps conſiliarios &c. propter quam conſtituentium diverſitatem diverſimodè quoq; de illis eſt pronunciandum, adeoq quia ſubditi conſtituentes magiſtratum ſunt ex ordine nō poſteriorū, ſed priorum, ex conſtitutione prioritatem quidem, non autem ſuperioritatem illorum colligere poſſumus Similiter in ſecundo confundunt diverſos modos agendi propter alium. Magiſtratus enim eſt propter ſubditos, ſed non ut ſervus propter Dominum, ut miles propter ducem, vel ut diſcipulus propter præceptorem; ſed contrà ut dominus propter ſervum, dux propter militem, præceptor propter diſcipulum. Niſi ergò inſulsè concedere velint, dominum eſſe inferiorem ſervo &c. dicere quoq; non poterunt, quod Magiſtratus ſubditis ſit inferior.

QUÆ-

QUSÆTIO XII.

An Magiſtratus poſsit permittere, ut facinoroſi & ſcelerati in cœmiterium ſepeliantur.

Per facinoroſos & ſceleratos hoc loco intelligimus homicidas, fures, latrones, & qui ſibi ipſi manus violentas inferunt. Hos omnes in cœmiterium ſepelire poſſe ſimpliciter nego. Sic namque argumentor. Quicunque non ſunt virtuoſi, & honorati viri, illis cœmiterium non competit Certum hoc. Nam cœmiterium talis eſt locus, qui ſolis viris honoratis competit. Atqui homicidæ, fures, latrones &c. nō ſunt virtuoſi & honorati viri. Quippè publicè notorijs flagitijs ſuffocati. Ergo homicidis, furibus lationibus &c. cœmiterium non competit.

QVÆSTIO XIII.

An Magiſtratus bonâ conſcientiâ concedere queat, ut homines larvas Bacchanaliorum geſtent?

Patroni larvarum Bacchicarum *affirmativam* arripiunt. Hoc argumento: *Omnis ſimulatio perſonæ eſt licita. Atqui larvas Bacchanaliorum geſtare eſt ſimulatio perſonæ. Ergo.* Sed nos *negativam* arripimus, freti hoc argumento: *Quicquid trahit originem à Diabolo, illud Magiſtratus bonâ conſcientiâ concedere nequit. At larvas Bacchanaliorum geſtare trahit originem à Diabolo. Ergo*, Maior eſt certa. Minor etiam patet. Nām larvas Bacchanaliorum geſtare eſt peccatum. Omne autem peccatum eſt à Diabolo. Ergo & larvæ Bacchanaliorum tanquam peccatum erunt à Diabolo. Taceo quod etiā larvæ Bacchanaliorum originem trahant ab Ethnicis ſuperſtitioſis. Quomodo ergo illas Magiſtratus bona conſcientiâ permittere poſſet? Ad argumenti allati *Majorem* reſpond 1. *Indirectè* & per *Inſtantiam* hoc modo: Omnis ſimulatio perſonæ eſt licita. Atqui veſtes mulieris giſtare eſt ſimulatio perſonæ. ergo veſtes mulieris geſtare eſt licitum. Concluſio eſt abſurda. Quippe Scripturæ contraria *Deut*: 22. Ergo vel *Major*, vel *Minor*, At non *hæc*. Ergo *illa*. 2. *Directè* & per *limitationem* ita: Omnis

omnis ſimulatio perſonæ eſt licita, *nempe approbata*. At jam negatur Minor. Nam larvas Bacchanaliorum geſtare non eſt ſimulatio perſonæ *approbata*, ſed *improbata*. Quippe quæ ex levitate, & ingenii vanitate ſuſcipitur, atque ad proximi offenſionem ac læſionem tendit. Committitur ergo hic *fallacia petitionis principii*.

QUÆSTIO XIV.

An jus vocandi Miniſtros Eccleſiæ Magiſtratui competat?

Affirmatur. Quia 1. Magiſtratus eſt membrum Eccleſiæ. 2. Quia eſt cuſtos utriuſque tabulæ Decalogi, & nutricius Eccleſiæ Eſa. 49, 23. 3. Rationem habere debet eorum, quæ pertinent ad ſalutem animarum, ut eſt vocatio miniſtrorum.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMAN